

ibidem approbati, quodque postea subdividitur in absolutum, et limitatum.

73. *Et quando vi hujus sit valida electio?* — Additur notanter, « a majori parte capituli. » Nam si compromissarii secundum traditam sibi potestatem eligant eum, in quem non major pars capituli, sed tantummodo plures aliorum comparatione consenserunt, non valet electio: cum præter tres formas, in cit. c. *Quia propter*, relatas, dignoscatur esse attentata, text. clar., c. *Si cui*, 23, h. t., in 6. Adeoque tunc solum valet tale compromissum limitatum, quando datur compromissariis potestas eligendi eum, in quem saltem major pars consenserit. Passerinus, cap. xxii, de *Electione*, n. 3, et alii.

76. *Ad hoc sufficit consensus majoris partis vocalium, et cur?* — Porro ad compromissum taliter limitatum sufficit, quod compromissarii eligantur a majori parte capituli, ut notat Angelus, in Summa, §. *Electio*, n. 27, citans Lapum, et Geminianum, in c. *Cum expediat*, h. t., in 6; Passerinus, cit. cap. xxxiii, n. 20, allegans insuper Francum, Rosellam, Tabienam, et alios. Ratio est: quia per hunc electionis modum nulli eligentium fit aliquod præjudicium, cum quilibet possit nominare eum, quem vult: simulque compromissarii non possint eligere alium, nisi nominatum a majori parte capituli.

77. *Forma compromissi limitati, quomodo differat ab electione per scrutinium?* — Neque hinc quis inferat, quod forma compromissi limitati prorsus coincidat cum electione per scrutinium. Resp. enim cum Glossa, in c. *Cum expediat*, 29, §. *Inquisitis*, et Layman, ibid., h. t., in 6; Engel, n. 41, eod., et aliis, quod hæc forma sit mixta ex scrutinio, et compromisso, ac proinde forma scrutinii in ipsa a compromissariis sit observanda: adeo quidem, ut si plures sint compromissarii, per unum eorum pronuntianda, et facienda sit communis electio, atque aliter facta, electio non teneat, text. clar., c. *Sicut cum*, 21, h. t., in 6, adhuc tamen ea principaliter dicatur esse forma compromissi. Ratio hujus est: quia in electione per scrutinium ille, cui ex scrutatoribus committitur electio communis, eligit vice præsentium electorum, sive capitularium: e contra in compromisso eligit compromissarius vice propria, vel compromissariorum, si sunt plures; hæc enim potestas jure compromissi a capitularibus in ipsum, vel ipsos, translata fuit. Passerinus, loc. cit., n. 16. Deinde in hoc compromisso potest in-

tervenire unus compromissarius, vel plures tribus: non sic in electione per scrutinium potest esse unicuique scrutator. Tandem forma compromissi limitati est expeditior, et faciliior, quam forma electionis per scrutinium: cum in illa non requirantur tot substantialia, quot in ista, adeo ut in hac etiam boni juristæ, practicam ignorantes, quandoque deficiant. Glossa, loc. cit. Atque ideo hanc formam mixtam hodie esse usitatioram, et expeditiorem, quam est forma compromissi absoluti, et scrutinii, notat etiam Pirhing, h. t., numer. 210.

78. *Per tale compromissum limitatum fiunt electiones superiorum majorum in Ordine Fratrum Minorum.* — Et hinc non mirum, quod in Ordine Fratrum Minorum electiones superiorum majorum in capitulis generalibus, et provincialibus, soleant fieri per hujusmodi compromissum limitatum, utpote modum eligendi cæteris faciliorem, et expeditiorem: prout liquet ex illa formula, qua juxta præscriptum statutorum generalium, cap. viii, § 3, unus disquisitorum, sive scrutatorum, post enumerata, quot quisque habuerit vota, electionem communem sive capitularem circa personam reportantis plura ultra medietatem in scrutinio vota faciens, pronuntiat in hæc verba: « Et ego Fr. N. ejusdem Ordinis professor, unus ex disquisitoribus, et compromissariis, virtute compromissi in me, et in socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam electionem consenserunt, præfatum N. ministrum provinciale canonice electum nomino, et sic electum denuntio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. » Ubi ly, « virtute compromissi in me, et socios meos limitati, » clare denotat præsens assertum: quanquam in electionibus ejusdem ordinis electores, et confirmatores non arctari solemnitatibus, aut formis juris, eadem statuta generalia loc. cit. recte moneant; idque ob constitutionem beati Pii V, quæ incipit, *Pastoralis*.

§ IV.

VARIA DUBIA CIRCA ELECTIONEM PER COMPROMISSUM RESOLVUNTUR.

79. *Compromissum potest revocari re integra: alias secus.* — Quæritur I. An, et qua ratione compromissum, seu potestas eligendi data compromissariis, revocari valeat? Resp. I. Re integra potest potestas data compro-

missariis a compromittentibus libere revocari: secus, si res non amplius sit integra. Ita desumitur ex c. *In causis*, 30, h. t. ubi in facti contingentia Pontifex declaravit, quod potestas data compromissariis ad eligendum prælatum amplius revocari non potuerit, hæc addita ratione: « Cum res non esset integra, quia in tractatu jam processerant electores, » seu compromissarii. Ergo argumento a sensu contrario desumpto (quod est fortissimum in jure) si res adhuc est integra, potest compromissum libere revocari; prout argumentatur Abbas in cit. c. *In causis*, num. 41, ac notat Barbosa ibid. numer. 4; Pirhing, h. t. num. 220; Passerinus, d. cap. xxii, num. 23, citans alios. Sic quippe in simili potestas judicis delegati re integra expirat morte delegantis: secus si res amplius non sit integra, ut c. *Relatum*, 19, et c. *Licet*, 30, de *Offic. delegat.* Similiter mandatum re integra potest revocari, § *Recte*. instit. de *Mandato*, cum similibus. Accedit ratio, quia re integra nihil interest compromissariorum, si tradita eis potestas eligendi revocetur: secus, si in negotio jam processerunt, sicque eorum potestas cum effectu transivit in ipsos, atque in eis radicata existit.

80. *Solvuntur rationes in contrarium allegatæ.* — Fatendum tamen, quod Glossa in d. c. *In causis*, §. *Cum res non esset integra* non parum dubitet, an re integra possit adhuc compromissum revocari; tum quia, « quod semel placuit, amplius displicere non potest, » ut habet reg. 21 juris in 6: tum quia perfecta donatio non revocatur, l. *Si donationem*. C. de *Revocat. donat.* cum similibus: atqui talis hic intervenire censetur cum electores libere compromissariis concesserint jus eligendi, illudque isti acceptarint. Verum, ut bene notat Abbas, loc. cit. n. 11, et Layman. in d. c. *In causis*. n. 7, citans insuper Innocentium, Joan. Andream, et alios, hæc rationes solummodo urgent, quando compromissariis data est potestas eligendi in gratiam, seu favorem ipsorummet compromissariorum, ut videlicet hæc ratione specialiter honorentur; tunc enim ea nequit revocari, etiam re integra, cum secuta acceptione habeat rationem perfectæ donationis. Secus est, quando compromissariis data est illa potestas, non favore suarum personarum, sed solum intuitu Ecclesie, puta, ut nuic per viam compromissi facilius provideretur: tunc enim compromissarii censentur esse nudi ministri, ac

deputati executores, habentes mandatum eligendi vice omnium; sicque ad instar alterius mandati potest revocari re integra.

81. *In dubio, an censeatur compromissariis data potestas gratia sui, vel favore Ecclesie?* — Cæterum in dubio, an compromissariis data sit potestas favore Ecclesie, vel gratia sui, idque ex prius actis nequeat resolvi: præsumendum est, compromissum priore modo, videlicet ob utilitatem Ecclesie fuisse factum, et non posteriore modo, seu gratia compromissariorum. Siquidem gratia non est præsumenda, arg. cap. ult. de *Translat. episcop.* et l. *Cum de indebito*, § 1, ff. de *Probationib.* Abbas loc. cit. n. 12; Layman. et alii.

82. *Res integra in proposito, quamdiu sit?* — Porro *Res integra* in proposito censetur esse tamdiu, donec compromissarii inceperint ipsummet negotium compromissi quantum ad substantialia, tractando videlicet inter se de persona eligenda; prout desumitur ex cit. c. *In causis*. h. t. ac notat Abbas ibid. num. 7, citans Innocentium; et Barbosa num. 4; Layman, num. 7, et alii. Qui omnes concorditer asserunt, si tantum præcesserit solemnitas præparatoria, v. g. Missa cantata de Spiritu sancto, adhuc dici rem integram, donec compromissarii de persona eligenda tractare inceperint.

83. *Compromissum nequit revocari a paucioribus.* — Resp. II. Nihilominus re etiam integra compromissum non potest revocari a paucioribus capitularibus, ac multo minus ab uno solo, sed tantum a majori parte capituli. Ita Abbas, loc. cit. num. 16, contra Innocentium; Pirhing, h. t. num. 223; Passerinus, ubi supra, num. 27, citans alios. Ratio est: quia, ex quo compromissum semel a toto capitulo factum est, ac tenuit, non potest revocari, nisi a majori parte capituli, arg. cap. i. *De his, quæ fiunt a majori part. capit.* cum concordantiis. Quinimo id cederet in detrimentum totius capituli, si quod communi omnium consensu statutum est, ab uno cæteris contradicentibus rescindi posset. Unde urget illa recepta reg. 33 juris in 6: « Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. » Intellige, nisi minor pars ostendat compromissum ob publicam utilitatem esse revocandum, eo quod Ecclesie damnosum sit; prout hoc ipsum generaliter limitatur in cit. cap. i. *De his, quæ fiunt a major part. capit.* ac notant auctores præallegati.

84. *Solvitur instantia.* — Dices: Poterat

principio unus solus resistere, ne fiat compromissum, per dicta, num. 71; ergo etiam potest unus re integra illud revocare. Resp. neg. consequent. Disparitas est: quia, ne fiat compromissum, interest singulorum, utpote qui alioquin cogentur carere voce sua activa: secus accidit post compromissum capitulariter jam factum, quia tunc compromissarii sunt executores totius capituli; sicque negotium tangit omnes, non autem singulos de capitulo: in quo casu prevalere debet id, quod a majori parte capituli gestum fuit.

85. *Compromittentes tenentur recipere electum a compromissariis.* — Quæritur II. Utrum compromittentes teneantur recipere eum, quem elegerunt compromissarii? Resp. Compromittentes tenentur recipere eum, quem elegerunt compromissarii, dummodo servata fuerit forma compromissi, simulque electus existat idoneus. Ita communis; et clare habetur in c. *Causam quæ*. 8; h. t. ac notant ibidem Barbosa, et communis doctorum, quos citat. Alioquin enim frustra in compromissarios collata fuisset potestas eligendi, si hunc, cæteroque idoneum, compromittentes recipere non tenerentur, sed libere recusare possent.

86. *Dummodo servata fuerit forma compromissi.* — Additur notanter primo, «dummodo servata fuerit forma compromissi.» Alioquin enim, si compromissarii terminos potestatis sibi traditæ non servaverint, non valet electio inde secuta, c. *Cum dilectus*. 32, et c. *Cum in veteri*. 52, h. t. Nam de substantia electionis compromissaria est, quod non excedatur forma compromissi. Miranda, tom. II, *Manual. prælat.* quæst. 23, art. 38, concl. 4, et Barbosa cit. c. *Cum dilectus*, num. 4, h. t. eo quod in tali casu potestas compromissariorum penitus sit restricta, et dependens a voluntate et determinatione capitularium, quorum sunt quasi ministri: proinde non licet ipsis excedere fines traditæ sibi potestatis.

87. *Simulque electus existat idoneus.* — Additur ulterius, «simulque electus existat idoneus.» Nam in compromisso potestas tradita compromissariis semper intelligitur de eligenda persona idonea, licet hæc clausula non exprimat, arg. d. c. *Causam quæ*. 8; h. t. ac notat Glossa c. *In causis*. 30, vers. *Idonea*. h. t. Quod si vero compromissarii eligant indignum, sive id fecerint scienter, sive ignoranter, non valet electio, c. *Cum in cunctis*. 7, et d. c. *Causam, quæ*. 8, et c.

Dudum. 22, h. t. cum similibus: simulque tunc redit potestas eligendi ad compromittentes, ut illi eo amplius dicetur. Unde

88. *Si compromissarius eligit indignum, potestas eligendi revertitur in compromittentes.* — Quæritur III. Quid juris, si compromissarius eligit indignum? Resp. I. Quando compromissarius eligit indignum, sive scienter, sive ignoranter id fiat, tunc præter nullitatem actus (ut nota præc. dictum) potestas eligendi libere revertitur in compromittentes; nisi et ipsi scienter talem electionem ratam habuerint. Ita habetur expressum in c. *Si compromissarius*, h. t. in 6. Ratio est, quia, quando compromissarius scienter eligit indignum, tunc ipse quidem functus est officio suo (licet male) ac proinde amplius non habet potestatem eligendi. Quia tamen «dolos ipsius (id est, compromittentibus) qui non sunt in culpa, non debet imputari,» ut loquitur Pontifex ibidem: cum peccata suos auctores tenere debeant, c. *Quæsiunt de His, quæ fiunt a major. part. capit.* simulque non debeat aliquis alterius odio prægravari, juxta reg. 22 juris, in 6. Hinc compromittentes idcirco non amiserunt jus eligendi, sed hoc ad ipsos revertitur; quidquid olim in oppositum tenuerit Compostellanus, dicens, in tali casu jus eligendi devolvi ad superiorem. Glossa in cit. c. *Si compromissarius*, vers. *Imputari*, et alii. Si vero ignoranter compromissarius elegerit indignum, etiam tunc ipse functus est officio suo, et consequenter non potest novam electionem instituire sine nova commissione, sed tota potestas eligendi redit ad compromittentes.

89. *Nisi hi ratam habuerint talem electionem indignam.* — Additur notanter, «Nisi et ipsi, etc.» Nam si compromittentes scienter ratam habeant electionem indigni, tunc locum habebit reg. 10 juris in 6: «Ratificationem retrahit, et mandato non est dubium comparari:» sicque et ipsi ratificando scienter electionem indigni a compromissario factam, perdunt jus eligendi pro una vice. Glossa in cit. c. *Si compromissarius*, vers. *Ratam*, h. t. in 6.

90. *Ad quem in isto casu devolvatur potestas eligendi?* — Proinde in tali casu, si non omnes deliquerint ratiocantem scienter electionem indigni, tota potestas eligendi pro una vice revertitur ad alios non delinquentes; atque in ipsis residet: quia pars non peccans fungitur vice capituli, arg. c. *Cum Vintonensis*. 23, et c. *Dudum*. 22, juncta Glossa

vers. *In ordinibus*. h. t. Quod si vero deliquerunt omnes, tunc præter pœnas num. seqq. declarandas in electione episcopi tota potestas eligendi devolvitur ad summum Pontificem; ut c. *Bonæ*. 23, § fin. h. t. ibi: «Ad nos devoluta fuisset hac vice ordinatio ecclesiæ Moguntinæ.» Concordat c. *Quamquam* 18, h. t. in 6, ubi simul declaratur istud habere locum dumtaxat in electione episcopi: in inferioribus autem ecclesiis potestas eligendi semper devolvitur ad proximum superiorem, prout ibidem annotatur.

91. *Compromissarius eligens indignum in episcopum, quas pœnas incurrat?* — Resp. II. Insuper compromissarius, qui in episcopum scienter elegerit indignum (dummodo ipsemet non sit episcopus) ipso jure incurrit pœnam suspensionis a beneficiis, quæ oblinebat in Ecclesia offensa, et quidem per triennium: quam pœnam etiam incurrunt compromittentes, qui scienter ratam habent ejusmodi electionem indigni in episcopum. Patet hoc totum ex sæpe cit. c. *Si compromissarius*. 37, h. t. in 6, juncta Glossa, et doctores ibidem.

92. *Compromissarius eligens indignum in episcopum, quas pœnas incurrat?* — Dicitur notanter, «Qui in episcopum,» etc. Nam, ut ibidem mox subjungitur, hæc pœna suspensionis triennalis non habet locum in aliorum, quam episcoporum, et superiorum ipsorum electionibus, cum peccatur in eis. Simulque hæc pœna solum restringitur ad beneficia, quæ quis obtinet in Ecclesia, per talem electionem, et indigni prælati præpositionem læsa. Et cum episcopi de jure, juxta c. *Quia periculum*, 4, de *Sent. excommunic.* in 6, nullam pœnam suspensionis incurrant, nisi de ipsis expressa mentio habeatur (qualis tamen de ipsis non habetur in concilio Lateranensi, relato in c. *Cum in cunctis*. 7, h. t. ad quod ibidem fit reflexio) hinc expresse subditur, quod episcopus, si ad eligendum fiat compromissarius, et peccet scienter eligendo indignum, dictam pœnam non incurrat. Insuper, quod ad hanc pœnam incurramam requiratur, ut electio indigni fiat scienter, notat Glossa ibid. vers. *Eligitur*, et amplius in simili dicetur infra § 11, num. 253.

93. *Si compromissarius absolute constitutus negligat eligere intra tempus a jure statutum, devolvitur potestas eligendi ad superiorem.* — Quæritur IV. Quid adhuc juris, si compromissarius negligat eligere intra tempus a jure statutum, aut electus consentire nolit elec-

tioni? Resp. I. Si compromissarius absolute constitutus neglexerit intra tempus a jure præfixum quempiam eligere, tunc ad proximum superiorem potestas devolvitur providendi: sibi que imputent compromittentes, qui in tam negligentem transtulerunt potestatem hujusmodi. Ita habetur cit. c. *Si compromissarius*. § 1. Et merito: quia debuerant compromittentes, vel magis sollicitum eligere, vel ipsi compromissario non dare totum tempus, quod habebant ad eligendum; prout notat Glossa ibid. vers. *Transtulerunt*.

94. *Disparitas inter talem compromissarii negligentem, et electionem indigni.* — Dices. Si compromissarius eligit scienter indignum, non devolvitur potestas eligendi ad superiorem, sed redit ad compromittentes, ut dictum supra num. 88; ergo etiam, si compromissarius negligit eligere intra tempus a jure statutum, eadem potestas redibit ad compromittentes, nec devolvetur ad superiorem: quia quasi paria videntur, non eligere idoneum, et non eligere intra tempus a jure præfixum. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Nam, ut patet ex allegata clara dispositione juris canonici, hæc duo neutiquam sunt paria: quia compromittentes poterant suo modo præcavere negligentiam compromissarii, vel compromittendo in magis sollicitum, ac industrium, arg. l. *Si procuratorem*. § *Si tutorem*. ff. *Mandati*. ubi negligentia mandatarii non excusat tutorem mandantem; vel saltem tali compromissario non dando totum tempus, quod habebant ad eligendum, ut c. *Cum in veteri*. 52, h. t. At vero contra compromissarium eligentem dolose indignum, non poterant sic se præcavere: unde ne dolus imputetur illis, qui sunt absque culpa, in hoc casu redit ad compromittentes jus eligendi, non item in priori, cit. c. *Si compromissarius*, juncta Glossa vers. *Transtulerunt*. h. t. in 6.

95. *Quid dicendum in casu negligentiam compromissarii limitate constituti?* — Resp. I. Quod si potestas eligendi compromissariis commissa sit limitate ad certum tempus, infra quod electio fieri debeat ab eisdem, vel alia conditio adjecta fuerit; hac deficiente, vel tempore illo elapso ante factam a compromissariis electionem, compromissum per se expirat. Ita desumitur ex c. *Cum in veteri*, 52, h. t. ac notat Innocentius ibid. n. 4, et Pirhing h. t. n. 226, cum aliis. Unde, si tempus a jure statutum necdum sit elapsum, redit electio ad compromittentes.